

Dissertatio inauguralis medica de peripneumonia biliosa ... / pro summis in medicina honoribus rite capessendis die xxv. maii. MDCCLXXXVII. publice defendet auctor Martinus Ianssen.

Contributors

Janssen, M.
Universität Göttingen.

Publication/Creation

Goettingae : Typis Jo. Albr. Barmeier, acad. typogr, [1787]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hydhqyqf>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

4

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
PERIPNEVMONIA
BILIOSA

QVAM
CONSENTIENTE
ILLVSTRI MEDICORVM ORDINE
IN
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
PRO
SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS
DIE XXV. MAII. MDCCLXXXVII.
PVBLICE DEFENDET
A V C T O R
MARTINVS IANSEN
LVNEBVRGENSIS

GOETTINGAE,
Typis IO. ALBR. BARMER.

DISSECTATIO INVALGUALIS MEDICA

DE

ERIPNEVMONIA BILLOSA

OPUS

CONSULTANTIS

ILLVSTRI MEDICORVM ORDINE

IN

ACADEMIA GEORGIA AVENSTA

PRO

ANNO IN MEDICINA

INTELLIGENDIS

DE XXV. HUIUS MODI

PRIMUM PRÆSENT

AVCTOR

ARTINVS JANSEN

LEUVENENSIS

GOETTINGAE

APUD IO. ALF. BARMER

VIRO ILLVSTRI

EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

D. IOANNI GEORGIO
ZIMMERMANN

ORDINIS IMP. ROSSIC. DE

WLODIMIR EQVITI

REG. MAGN. BRIT. CONSILIARIO

AVLICO ET ARCHIATRO

SCIENT. ACADD. BEROLIN. MONACH.

ET PESAR. SOCIETT. NAT.

CVRIOS. TVRIC.

ET BASIL. SOCIETT. OECON. BERN.

SODALI ETC.

PATRONO

SVMMA REVERENTIA COLENDO

NEC NON
D. IOANNI GVILLIELMO
IANSSEN

MEDICO LVNEBVRGensi PRACTICO,

ET

TERRARVM LVNEBVRGENSIVM PHYSICO,

PATRI SVO OPTIMO,

SVMMA PIETATE ET OBSERVANTIA
PROSEQVENDO,

HASCE

STVDIORVM PRIMITIAS

DEVOTISSIMO PIOQVE ANIMO

CONSECRAT

AVCTOR.

DE PERIPNEVMONIA BILIOSA.

Auctores praecipui de Peripneumonia biliosa.

HIPPOCRATES in plurimis locis praecipue in Tractatu de locis in homine 25 de morbis L. I. 13. L. I. 23. 24. de morbis popularibus L. 4. 29.

P. FORESTVS in Obseruationum L. 16. Obs. 46.

TISSOT avis au Peuple Ch. 20. de Febribus biliosis p. 130. Lettre a Ms. ZIMMERMANN sur l'epidemie courante Lausanne 1765. seconde lettre a Ms. ZIMMERMANN sur l'epidemie de 1766.

Recueil periodique Tom. VII. p. 79.

MORGAGNI de sedibus et causis morborum epist. 49. Art. 10.

SENNERT de Febris.

M. STOLL ratio med. in variis locis
praecipue T. I. p. 3. sqq. T. II. p. 109.

Peculiaris haec et sine dubio memoratu
digna species Peripneumoniae, quae signis, de-
cursu, exitu et medela, quam poscit, a vera
longe diuersa est, non demum a recentioribus
medicis obseruata et descripta fuit. HIPPO-
CRATES enim iamiam plurimis locis distincte
huius speciei mentionem facit, dum exempli
gratia sub nomine erysipelatis pulmonum de
Vomitu bilioso loquitur*), et docet, peripneu-
moniam etiam aliquando a bile oriri **) et se
sputa biliosa in peripneumonia ***) nec non lin-
guam viridem obseruasse ****) Ex his clarissime
patet, accuratissimum verissimumque obseruato-
rem HIPPOCRATEM speciem hanc cognitam
habuisse. Post eum P. FORESTVS l. c. mo-
difi-

*) Lib. I. 13.

**) Lib. I. 23. 24.

***) de morbis popularibus. Lib. 4. 29.

****) de locis in homine 25.

dificationem hanc bene descripsit; et denique hodiernis temporibus TISSOT et STOLL eam saepe obseruarunt, et optimas de ea descriptiones nobis tradiderunt. — HIPPOCRATES huic peripneumoniae modificationi non speciale dedit nomen, quamquam interdum eam erysipelas pulmonum appellauerit. — FORESTVS tandem eam nomine peripneumoniae aut pneumoniae biliosae distinxit, et hanc denominationem etiam TISSOT et STOLL retinuerunt. Et certe haec distinctio optime ad hanc speciem quadrat, quia haec peripneumoniae species idem nomen meretur, quam angina et pleuritis, si a colluuie biliosa originem trahunt.

DE DIAGNOSI.

Signa, quibus peripneumonia biliosa tanquam peculiaris species ab aliis distingui potest, praecipue sunt: 1) signa sordium biliosarum lucullenta, 2) aequilibrium inter sordes et symptomata peripneumonica, 3) pulsus mollior non ita durus ac in vera peripneumonia, 4) calor corporis moderatior et symptomata omnia leniora, quam in

vera peripneumonia. Peripneumonia haec biliosa nihil aliud est, nisi febris biliosa cum doloribus et symptomatibus peripneumonicis. — Ad instituendam vero certissimam peripneumoniae spuriae a vera diagnosis adhuc respiciendum est: 1) ad epidemiam et tempestatis naturam 2) ad symptomata praesentia 3) ad praecedentem valetudinis statum aegroti, quum peripneumonia biliosa lente progrediatur et deiecto appetitu signisque primas vias affectas denotantibus longo antea tempore sese denuntiet; peripneumonia vera et inflammatoria autem inopinato ingruat, et plerumque validissimos corripiat, 4) ad temperamentum aegroti, an nempe sit biliosum nec ne, et an aegrotus in diaeta peccauerit, ventriculoque debili sit, nec ne, 5) ad dolorem lateris. In peripneumonia biliosa inter tussum et respirandum raro; in vera autem maxime augetur. In biliosa in vnumquodque latus aegrotus decumbere potest, non autem in vera, in qua scrobiculus cordis, hypochondria, abdomen et lumbi non ita afficiuntur, quam in biliosa. 6) denique febris gradus spectandus est. In vera enim multo vehementior est, quam in biliosa. — Praeterea non raro diarrhoea peripneu-

pneumoniam biliosam praecedit, non autem veram, nisi fortuito. Vrina biliosa non ruffa, sed flaua, cum sedimento mucoso aut lateritio vel ante morbum, vel in morbo ipso animaduertitur; in vera autem ruffa, parca et sine sedimento obseruatur *a*).

DE DECVRSV MORBI *b*).

Praecedit interdum per aliquot dies, quin hebdomades, status dubius valetudinis; interdum vero et saepius simul et inopinato satis bene valentes corripit morbus, et tunc tanquam prima symptomata haec obseruantur: Febris oritur remittens, aegrotus iam in prima horripilationis accessione, aut post eam aut serius de tensione ventriculi queritur, quae ad thoracem vsque tendit, anxietatem efficit summam, et respira-

A 3

tio-

a) TISSOT avis au peuple. Chap. 20. — M. STOLL ratio medendi T. I. p. 68 seqq.

b) TISSOT lettre a Ms. Zimmermann sur l'epidemie courante Laufanne 1765. — seconde lettre a Ms. Zimmermann sur l'epidemie de 1766. Laufanne. — Avis au peuple Ch. 20. — M. STOLL ratio medendi in variis locis praecipue T. I. p. 3. seqq.

tionem plerumque ita difficilem reddit, ut suffocationis periculum inde ingruat. Hoc symptoma vero non diu durat, sed post 3 aut 4 horas remittit, et haec remissio tanquam signum characteristicum, quo haec species a vera peripneumonia facile distinguatur, haberi potest. — Ardor thoracis oritur, inter respirandum et tussendum raro auctus, decubitus in utrumque latus facilis est. Tensionem hanc ventriculi dolorificam alternatim dolor lateris punctorius succedit. — Fere semper adest tussis, quae, quamquam saepius infestat, aegrotum vero non valde excruciat. — Expectoratio est minuta, sputa spumosa, glutinosa, crassa, tenacia, alba, in paucis virescentia, interdum paucis sanguine tincta, interdum non tincta, rarius cum multo sanguine permixta, (neque hoc ultra 1 aut 2 diem) ejiciuntur. Pulsus celer est et mollis. — In initio morbi iam signa biliosa apparent; nempe appetitus deiectus, os insipidum, amarum, anorexia, nausea, conatus vomendi, copiosus insipidae salivae in fauces affluxus, vomitus spontaneus, levans, biliosus; lingua humida, in initio parum mutata; post 24 horas autem ex viridi flava, sedimento colorem plumbeum simulante. — Hypo-

chon-

chondria sunt tensa, tument et dolent praecipue
 post contactum; dolor in scrobiculo et infra il-
 lum grauans attactum aegre fert. — Ruſus ad-
 ſunt amari, nec non tormina, et aut aluus ob-
 ſtructa, aut liquidior et bilioſa, facies ex pallido
 flaua, oculi tristes, aquei, dolor capitis vehe-
 mens aut grauatiuus, dolores dorſi et lumborum;
 fitis ſaepe nulla, et ſi vero aliqua, minor ta-
 men, quam pro morbi acuti ratione, ſentitur.
 Dentes ſunt ſordidi. — Tumor oritur ventriculi
 ſenſusque plenitudinis in eodem, et anxietas circa
 praecordia. — Multa in vrina obſeruatur varietas,
 interdum clara eſt, interdum crocea, interdum
 ſubrubra, interdum turbida, iumentofa cum ſedi-
 mento imperfecte depoſito, furfuraceo, albo, late-
 ritio mixtoque. — Cutis humida deprehenditur.
 — Sudores nonnunquam in initio profuſi et
 mali ominis erumpunt. — Somnus aut nullus aut
 turbatus, potius noxiuſ, quam ſalutaris eſt. —
 Quotidie exacerbatio quarundam horarum vel in
 terdiu vel nocte oritur, in qua aegrotus calore
 ſummo et inquietudine laborat. — Facies in exa-
 cerbatione ſudore madida, rubra, poſt exacer-
 bationem macilenta et flaua fit, et aliquando in
 hac exacerbatione deliria ſuperueniunt. — Inter-

dum vermes aut vomitu, aut per alvum deiiciuntur, sed sine mutatione morbi. —

Febris aut vno tenore progreditur, aut vaga periodo exacerbatur absque certa lege modoque. — Inter omnia haec recensita symptomata nullum est, de quo magis queruntur aegroti, quam de ardore in thorace, oppressione eiusdem et spiritus difficultate. — Interdum morbus levis est, et post primam solummodo euacuationem, tensio ventriculi, grauitas pectoris, respiratio difficilis et alia symptomata euanescent, et post 3 aut 4 dies febris etiam abit. Et hoc mihi in Nosocomio Goettingensi, quod auspiciis Viri Illustris RICHTERI et Experientissimi STROHMEYERI, praeceptorum meorum summa pietate colendorum, viget, etiam obseruare contigit. — Neglectus vero et male tractatus, aut ab initio vehemens morbus 2, 3, aut 4 die secundum observationes TISSOTI sub deliriis, oppressione graui, calore interno vrente, quem aegroti in initio morbi tanquam signum mali ominis sentiebant, morte interdum finiebatur. — Frequentius vero et si morbus non adeo vehemens est, per 7, 10, 12, 21, dies durat, exacerbationes febris indies leniores fiunt, anxietas euanescit, eua-

evacuationes et secretiones naturalem resumunt rationem, respiratio fit liberior, somnus gratus leuans, appetitus et vires reuertuntur, et sudore, vomitu, diarrhoea, exanthematibus labiorum, nasi, interdum tumore glandularum (sic tumorem glandulae submaxillaris 9 morbi die criticum vidi) sputis glutinosis, tenacibus, postremo aquosis, soluitur. Interdum exanthema scabiosum cum pruritu inter alias oritur crises, id quod ipse obseruauit. TISSOT ita de hoc exanthemate loquitur c):

"Vne autre crise, que j'ai vu quelques fois et qui n'a pas été inconnue aux anciens, c'est des boutons assez considerables, répandus en plus ou moins grande quantité sur tout le corps, accompagnés de beaucoup de demangeaisons et dont quelques uns suppuroient". —

DE CAUSSA MORBI.

Priusquam verosimillimam peripneumoniae biliosae causam hic recenseam, modificationem aëris, in qua haec peripneumoniae species saepe-

A 5

pissi-

pissime saltem observata fuerit, denotare necesse
 erit. — In epidemia anni 1765 et 1766, cu-
 ius historiam TISSOT optime tradidit l. c. auster
 semper humidus constans dominabatur, et in
 sex mensibus boreas solummodo per 24 horas
 durabat. In variis locis nebulae apparuere den-
 sae, male olentes, et gelu non violentum per ali-
 quot modo dies locum tenuit. — Sic terra humida
 fuit et mucosa, fereque paludosa, aer humidus
 nebulosus, temperatus, et propter tonitruum
 absentiam impurus. Inde circulatio humorum
 languida, fibrae aeris humiditate relaxatae, actio-
 nes infirmiores, secretiones minutae, massa hu-
 morum aggrauata, et transpiratio imprimis sup-
 pressa fuit. Contactui aeris humidi expositi pul-
 mones relaxati erant, et exhalationum insalu-
 brium irritatione et infectione debiliores facti,
 maius damnum passi sunt, reliquis corporis parti-
 bus, et haec verosimiliter causa fuit, cur in om-
 nibus fere aegrotis pulmones laborarent. Cor-
 pus obrutum fuit his materiis corruptis, quae
 per transpirationem et per alias vias euacuari de-
 buissent, et hac retentione humores acritatem,
 bilis vero naturam alcalinam acquisiuit, et dum
 corruptio ad certum peruenisset gradum, ge-
 ne-

neralem efficit irritationem, cuius effectus febris erat, quae fere ordinarie metastasin ad aliquam creabat partem. Sic TISSOT narrat *d)* — Ill. STOLL praecipue peripneumonias biliosas, ubi calor et frigus alternatim sese excipiebant, vidit, et mensibus Maji et Iunii anni 1786, in quibus plures peripneumonias biliosas in Nosocomio Goettingensi observare mihi contigit, coelum inter frigus et calorem maxime variabat. — Secundum experientias Ill. STOLLII praecipue mensibus Martii et Aprilis occurrit haec peripneumoniae species, et ego etiam mense Maii, Iunii et in fine Iulii anni 1786 et in fine Februarii anni 1787 eas animadverti. —

Cur et quam ratione vero in his febribus biliosis pulmones etiam afficiantur, varias TISSOT et STOLL portulerunt opiniones. TISSOTI sententia enim est, causam esse materiam epidemicam quae instar metastaseos affectet pulmones *e)*. Ill. STOLL autem duplici origine nasci posse iudicat, vel ex resorpta aut ad pulmones delata materie aliena, vel ex solo pul-

d) lettre premiere pag. 30, 31. 32.

e) lettre premiere pag. 29, 32, 97 sqq.

pulmonum cum ventriculo consensu *f*). Et maxime verosimile est, et metastasi materiei biliosae, et consensu, quem ventriculus cum pulmonibus sustinet *g*), pulmones affici. Et haec consensualis irritatio eo facilius effectus suas exferere potest, quo magis antea pulmones debilitati et relaxati crant. Quodsi enim pulmones pars debilior corporis sint, sequitur, vt quaelibet materia morbosa, in corpore errans, pulmones etiam in consensum trahat. Epidemica aëris constitutio denique ad hoc efficiendum, multum facit *h*).

DE PROGNOSI.

Quid spei, difficultatis et periculi cum hoc morbo coniunctum sit, iam dispiciendum est. — In genere peripneumonia biliosa minus periculosa est, quam peripneumonia vera. In hac enim pulmones genuina laborant inflammatione

f) ratio medendi T. I. pag. 39, 49, 50.

g) Sylloge selectorum opusculorum de mirabili sympathia, quae partes inter diuersas corporis humani intercedit, edita cura I. C. T. SCHLEGEL Lips. 1787.

h) TISSOT lettre premiere pag. 97 seqq.

tione; in illa vero solummodo secundario afficiuntur. — Ad prognosin verumtamen specialem formandam, sequentia imprimis sunt perpendenda.

1) an aegrotus iam sit prouectiori aetate, nec ne.

2) Vtrum corpus ceteroquin et antea sanum, an alias iamiam peripneumonia, haemoptysi, aut quocunque alio morbo pectoris, aut alio vitio cuiusdam visceris grauiori correptum fuerit.

3) Quisnam febris gradus adsit, et quomodo symptomata febrilia sese habeant; nempe pulsus, dolor pectoris, tussis, respiratio, sputa etc.

4) An repetiti errores diaetae vel medicae morbum peiorem reddiderint, nec ne.

5) An morbus iamiam maturuerit, nec ne.

6) An febris biliosa, simplex, aut cum alia febris modificatione coniuncta sit.

7) An vnus, aut ambo pulmones affecti sint.

8) An denique symptomata mali ominis adsint, nec ne. —

His, quae maxime ad prognosin recte instituen-
dam faciunt, expensis, adhuc thoremata quaedam
ab experientia variorum auctorum desumpta, hic
enarrare, mihi liceat. P. FORESTVS itaque has ha-
bet theses i): "*Si scretio flava cum multo sanguine
permixta inter initia excernitur, salutaris admodum
pulmonis inflammatio est. — Si mortale malum fue-
rit, vigiliae amplius aderunt, aut somni breves,
stuporem et delirium inducentes, et imaginatione
mentem vicissim perturbantes; tunc aegroti non
sentiunt praesentia mala, extremitates frigidae
sunt, ungues lividi incurvantur, et 4 aut ad
summum 7 die moriuntur. Verum si ad sa-
lutem permutetur morbus, ut idem fatetur Aetius,
sanguinis eruptio ex naribus abundanter sequitur
aut alui exturbatio multis exeuntibus spumosis et
biliosis humoribus. — Pustulae circa mamillas
et crura, abscessus circa aures et inguina, post
signa coctionis, cum bonis aliis signis, febre et
aliis symptomatibus minutis et delitescantibus boni
sunt ominis. —* TISSOT l) sequentia circa
prognosin habet: *Tensio ventriculi, secretio
urinae*

i) in Observationum Lib. XVI. Cap. 46. in scholio.

l) lettre premiere pag. 45 seqq.

urinae diminuta, grauitas pectoris et capitis, sudor anxietate summa erumpens, mortem portant. — Lingua sicca, labia nigra, pulsus frequens et durus, deliria fortiora 5. die orta, pessimi ominis sunt. — Praecipue vero coniunctio deliriorum cum oppressione pectoris et meteorismo insequente, sempr elethalis est. — Aliquando aegroti in ultimo vitae momento sui compotes, subita morte corripuntur. — Pessimi ominis est, si quoque caput afficiatur, tunc enim dolor capitis acutus, qui post 12. aut 15. horas in deliria tranquilla interdum in furiosa et phrenitidem abit, mortem propinquam praedicit. — Debilitas pulmonum naturalis et ante aggressum morbi nata, morbum peiorem reddit, interdum lethalem; magna enim requiritur cura, ne hydrops pectoris exinde insequatur. — Post ischuriam 5. die cum doloribus in infimo ventre, vesica tensa, maxime turgida, sine tussi, dolore pungente et oppressione ortam, 6 die dolores in abdomine oriuntur atroces, cum retentione urinae et faecum: icterus insequitur, vesperi deiectiones aluinae reuertunt, dolores aliquantum minuuntur, pulsus autem debilis percipitur, quies oritur inexplicabilis, et gangraena intestinorum mortem inducit. — Diarrhoea in initio morbi

exorta per plures hebdomades protrahā, et nullo modo sistenda, post 4 hebdomades frigus, febrem, appetitum prostratum, tussim, cephalalgiam, doloremque pūctorium creat, et meteorismum, calorem lividum faciei et manuum, nigritiemque labiorum adducit. — Sudores in initio profusi morbum praedicunt grauem, interdum mortem; nam meteorismus exinde sequitur lethalis". — Vehementia febris, pars metastasi biliosa affecta, et constitutio aegroti, morbi periculum generatim determinant.

RATIO MEDENDI.

Quodsi ad originem speciemque morbi, ad eius decursum et exitum exacte respiciamus, ad symptomata hic maxime eminentia, nec non ad characteristica signa, quae spuriam aut biliosam peripneumoniam a vera distinguant, attendamus, nullum prorsus dubium erit, quin morbus gastricae aut potius biliosae indolis sit. Exinde ergo facili negotio ratio medelae indicabitur. Medici enim erit:

- 1) fordes immobiles, mobiles et ad evacuationem aptas reddere; aut ab initio mobiles et turgescerites aut sursum aut deorsum evacuare.
- 2) ad statum et gradum affecti pulmonis attendere, et hoc eo magis, quo sit debilior.
- 3) grauiorum quorundam, non raro intercurrentium symptomatum, rationem habere.
- 4) expurgatis sordibus denique corpus sensim roborare.

Indicatio Prima.

Aegrotus peripneumonia biliosa correptus, in triplici statu versari potest. — Aut enim

- 1) diathesis phlogistica cum charactere gastrico coniuncta, magis prominebit, quam complicatio gastrica. Aut
- 2) character gastricus iam in initio morbi dominabitur. Aut denique
- 3) complicatio inflammatoria in initio morbi latens, dein in decursu morbi magis sese manifestabit. —

Status ille primus proprie peripneumoniam inflammatorio biliosam comprehendit, ideoque haec species in meam disquisitionem

nem non cadit. Cum autem complicatio inflammatoria facile in hoc morbo locum teneat, paucis eam hic recensebo. — Signa, hanc complicationem praecipue indicantia, sunt: Febris vehemens, pulsus durus, plenus, oppressio pectoris et exaestuatio summa, dolor pectoris gravatius, tussis vehemens, sputis sinceris aut sanguine tinctis; aegrotus robustus, plethoricus, ad morbos inflammatorios, inprimis pectoris pronus, qui vitam exercuit lautam, et antea optime se habuit. Epidemia et aeris temperies inflammatoria, absentia sordium biliosarum luculentium, phlogosi vero dominante, medicum adhuc certiores reddunt. — His signis praesentibus sine dubio venaesectio, constitutioni aegroti aliisque symptomatibus, et complicationi gastricae respondens, hic aliis remediis praemitenda erit. Quodsi vero indicatio ad venaesectionem non ita vrgens sit, tunc potius scarificationes et cucurbitulae, ad partem maxime adfectam, erunt applicandae. Hac venaesectione rite instituta, complicatio inflammatoria cum signis fociis plerumque evanescit, signaque colliculosei vitiosae luculentius sese manifestant *m*). —

Venae-

m) Tissot lettre premiere pag. 57 sqq.

Venaesectionem vero iterare perraro necesse erit. Ill. STOLL enim ita narrat n): "*licet sanguis extractus fere semper crustam pleuriticam exhiberet, veraque simul inflammatio adesset, cum exiguo tamen eoque brevi euanido levamine secta vena est, forsan, quod inflammatio secundario nata, tolli non posset, nisi prius cruda materies, sub praecordiis collecta, a qua motus humorum citatior eorumque phlogosis oriebatur, brevissima via ejiceretur*". Saepius vnam; rarius vero duas sanguinis missiones instituit Ill. STOLL o), et nunquam aut perraro sanguinis missionem emetico praemisit, nisi praesens inflammatio eam posceret p), et generatim nocuit, nisi forsan inflammatio comes esset q). — Status epidemiae et constitutio corporis aegroti, effectus primae venaesectionis, signa generalia, in hoc morbo praesentia, bene perpenſa, ad errorem in venaesectione euitandum, insuper valent. Si vero incaute bis vena secta fuerit, et aegrotus peius sese habuerit, tunc emeticum statim adhibitum

B 2

eor-

n) ratio medendi T. I. pag. 13.

o) ratio medendi T. I. pag. 13.

p) ratio medendi T. I. pag. 61.

q) ratio medendi T. I. pag. 11.

errorem commissum optime corriget. — Quando peripneumonia aut simplex biliosa, sine supra enarratis signis inflammatoriis, aut complicata adfit, ita tamen, ut phlogosis leuior tantum, aut secundo nata sit; porro quando colluies biliosa maxime vrgeat, venaesectionem plerumque, quamquam aliquando leuamen momentaneum afferre possit, laedere, statumque aegroti in peius determinare, procul dubio est. Leuamen enim, quod sanguinis missionem etiam in hoc determinato casu aliquando sequitur, momentaneum, breuique euandidum est; postea enim omnia exasperantur symptomata, pectoris incommoda longe grauiora redduntur, pulsus celerior et humilis fit, ac repens, et anxietas, calor intensior, sensuum hebetudo, stupor, dolores in abdomine, grauissima pectoris oppressio, oriuntur, et sic ergo magis deprauata conditio aegroti cum prostratione virium, leuamen momentaneum excipit *r*), et necessario excipere debet, quia noxia hac venaesectione plus materiei biliosae, in primis viis collectae, in systema sanguineum depletum transfertur, vires vitales debilitantur, et

ex

r) Ill. STOLL ratio medendi T, I. p. 7. 52 sqq.

ex priori, longe mitiori morbo, grauissimus red-
ditur, cui tunc non raro finem imponit mors
ineuitabilis. Aut si etiam aliquando malignita-
tem morbi post maxima discrimina superet ae-
grotus, sero tamen pristinum recuperabit corpo-
ris robur s). — Signa, quae alias complicatio-
nem inflammatoriam indicant, in hoc morbo
saepe solummodo a saburra primarum viarum
proueniunt, quae medicum improuidum ad ve-
naesectionem perducere possunt. Calor enim
praeternaturalis, motus febrilis vehemens, op-
pressio pectoris, et alia, non semper verissime phlo-
gosin indicant; sed saepe colluies, in ventriculo
et intestinis locata, sola, hos effectus, irrita-
tione sua, producere, ideoque deinde phlogo-
sin, peripneumoniam veram simulantem, exci-
tare potest t).

De tertio supra proposito statu, vbi enim
in decursu morbi phlogosis occurrit, postea et in
loco aptiori sermo paucis erit. —

B 3

Quan-

s) STOLL ratio med. T. I. pag. 41. 42.

t) STOLL l. c. T. I. p. 61. 76. 77. 78.

Quando ergo post phlogosin veram, venae-
 sectione discussam, signa colluuiei vitiosae lucu-
 lentius animaduertuntur, aut quando complica-
 tio inflammatoria secundario nata, cum chara-
 ctere bilioso longe praedominante, statim et in
 initio morbi, occurrit, et capitis dolor vehe-
 mens, os amarum, nausea, affluxus salivae in
 ore frequens, vomituritio, vomitus sponta-
 neus, lingua madida, inappetentia, tensio prae-
 cordiorum et alia signa, mobiles indicant sordes,
 tunc sine cunctatione emeticum, aluo aperta,
 propinandum erit, quo non raro copiosissima
 materies flava, amarissima, plerumque viridif-
 sima, insigni cum leuamine aegroti eiicitur. Nam
 eo oppressio pectoris, dyspnoea, incommoda
 ventriculi, dolores in hypochondriis acuti, saepe
 statim tolluntur, aut saltem haec symptomata mi-
 nuuntur. Respiratio liberior, aluusque aperta
 fit, et sic aegrotus saepe nihil amplius incom-
 modi sentit, ita, vt medicum dimittat *u)*, Hoc
 subitaneum leuamen emetici ipse etiam vidi. —
 TISSOT maxime emeticum laudat, asseuerans,
 essen-

u) TISSOT lettre première pag. 70. sqq. — STOLL
 l. c. T. I. p. 8.

essentielle esse remedium *v*). Sic etiam Ill. STOLL emeticum summis effert laudibus. "Nulli, vt narrat, *emeticum propinaui, qui non cum insigni leuamine vomuisset.*" Emeticum non solum causam morbi, bilem nempe ex ventriculo et duodeno eiicit, reliquas fordes mobiles reddit anxietatemque demit, sed etiam commotione et irritatione, forsan etiam vi diaphoretica, si secundum opinionem STOLLII quid materiei biliosae in thorace resorptum fuisset, in pulmones mirabili virtute agit, ita, vt post vnum emeticum non raro omnes dolores thoracis statim propellantur *w*). — Quod ad electionem emetici pertinet, TISSOT non solum *x*) sed etiam Ill. STOLL *y*) tartarum emeticum, radici ipecacu-

B 4 anhae

v) lettre première p. 73. "*l'ancre sacrée, celui sans lequel la maladie, si elle étoit un peu graue, et non compliquée, ne pouvoit presque pas guerir.*"
lettre première pag. 86. "*le remède essentiel, la base du traitement; il a suffi dans quelques cas, pour détruire radicalement la cause de la maladie.*"

w) TISSOT lettre première pag. 77. sqq. "*l'emetique degage le poulmon.*"

x) lettre seconde p. 16.

y) l. c. T. I. p. 58.

anhae praeferunt. Vomitiones enim certius et citius prouenire, numerumque earum in medici potestate esse; radicem ipecacuanhae subinde effoetam, in sordes ventriculi pituitosae indolis, aut nullam aut saltem debilem vim exserere, tunc non raro instar purgantis versus aluum ruere, et denique vix deuorata, in delicatioribus, rursus eiici, dicunt. — Tartarus emeticus vero, mea quidem sententia, non generatim ipecacuanhae praeferendus est, nec semper aequo bono effectu propinatur. Praecipue enim in maxima sensibilitate ventriculi, cum propensione ad diarrhoeam, in colluuiem mere biliosa, aut acri biliosa maximeque mobili, et in peripneumonia biliosa, non secus ac in omnibus febribus biliosis, diarrhoea stipatis, sine dubio ipecacuanha tartaro emetico praefenda est, quia, quamquam Ill. STOLL contrarium contendat, certius tartaro emetico vim emeticam exserit, lenius ventriculum afficit, ad colluuiem mere biliosam et acrem eiiciendam, aptior est, et quia denique rarius, tartaro emetico, in reliquum tractum intestinorum agit, tutius ergo illo, in diarrhoeis biliosis, ubi adhuc sordes sursum turgeant, adhiberi potest. — Tartarus emeticus vero in colluuiem pituitoso bilio-

liosam, aut mere pituitosam, vi sua magis irritante, fortius, quam ipecacuanha, agere, simulque, si necessarium est, aluum ciere, experientia docet. — Sic ergo neque ipecacuanha, neque tartarus emeticus, generatim in omnibus casibus eligi debet, cum mox ipecacuanha, mox autem rursus tartarus emeticus statui morboſo magis conueniat. —

A vomitu atque etiam ante eum et vsque ad finem morbi, partim ad resoluendam corrigendamque colluuiem; partim vero saburram ad euacuationem praeparandam, aluumque aperiendam, potus mucilaginosi, aciduli, resoluentes, copiose sumti, optime valent. Sic exempli gratia decoctum panis bis cocti, auenae, hordei, cum succo citri, aut aceto, aut oxymelle mixtum, aut vero et optime serum lactis, aut simplex, aut cremore tartari paratum, aut tamarindinum, et lac ebutyratum cum diaeta apta, nempe resolvente, et corrigente, hic conducunt. Cum his potionibus autem resoluentia, diluentia, refrigerantia medicamina adhuc sumere debet aegrotus, ad corrigendam saburram, aut adhuc crudam immobilemque materiam mobiliorem

reddendam. Huic scopo imprimis solutio falis ammoniaci, mixtura, aut potio RIVERII et tartarus emeticus in partis et parvis dosibus respondet, quae medicamina secundum gradum acrimoniae et tenacitatis sordium eligi debent. — Clysmata emollientia refrigerantia non minus hic, tanquam remedia necessaria, recenseri merentur, ut colluies magis magisque resoluatur, aliusque aperiatur. — Inunctiones oleosae et fomentationes emollientes, praecipue in tensione hypochondriorum dolorifica, leuamen procreant summum. — Quodsi vero post primam aut iteratam emesin, sordes non amplius in ventriculo, aut superiore intestinorum parte lateant, nec sursum turgeant, et contrario iamiam ad inferiora translatae et praecipitatae, borborygmis, doloribus dorsi ac lumborum, genuumque lassitudine, declarant, optime per aluum euacuari posse, tunc purgantia in usum erunt vocanda. Haec purgantia vero caute tamen adhiberi, et ea solummodo, quae leniori vi agunt, nec sputa, quamquam non sint critica, supprimunt, eligi debent. Ad hanc classem euacuantium imprimis manna, pulpa tamarindorum, aut cremor,

mor 2) aut cryſtalli tartari pertinent et hic vtramque paginam faciunt Mixtura ex manna et ſale ammoniaco prae ceteris mihi placuit, et haec fuit etiam illa, quae in noſocomio Goettingenſi, aegrotis, hoc morbo detentis, maximo cum emolumento propinabatur, et quae, cum inſuper ſuccus glyzyrrhizae inſpiſſatus, adderetur, tuſſim enormem cito ſedabat. Sputa enim minime turbat haec commixtio, aluum leniter aperit, affectiones peſtoris ſedat, et vniuerſim peſtori amica eſt. Incaute aut praemature et in initio morbi adhibita purgantia, ſemper nocuerunt, exacerbationes reddiderunt grauioreſ, peſtoris incommoda auxerunt, viresque aegroti proſtrauerunt. Materiei vero vitioſae, ſat mobile redditae, et in tractum inteſtinorum iamiam praecipitatae, optime conueniunt a). — Sic methodus antigaſtrica eo uſque continuanda eſt, donec ſordes gaſtricae cum peſtoris affectionibus penitus remotae ſint. — Fit autem interdum, vt purgato ſyſtemate gaſtrico, phlogofiſ, in primo mor-

2) TISSOT première lette p. 68. et in aliis locis cremorem tartari, aut ſolum, aut cum kermete minerali coniunctum, prae aliis commendat.

a) Ill. STOLL l. c, T. I, p. 12.

morbi stadio obscura, et larvata, in decursu morbi, semota gastrica complicatione, clarius elucescat. Sanguinis missiones, tunc demum celebratae, insignem effecerunt effectum, omniaque incommoda sustulerunt *b*). TISSOT autem optime adjungit: *“mais ces saignées demandent beaucoup de prudence, et en general il m’a toujours paru, qu’il y avoit plus de danger, a tirer trop de sang, qu’a en tirer trop peu”* *c*). Et plerumque etiam topicae venaesectiones in hoc casu, ad phlogosin hanc secundariam tollendam, sufficient. —

Indicatio secunda.

Incommoda pectoris, punctorius nempe lateris dolor, oppressio pectoris, expectoratio minuta, et tussis, licet euacuatione primarum viarum statim leniantur, et denique auferantur, tamen aegrotum plerumque valde excruciant, et ita specialem medelam auxiliumque postulant. — Ad dolorem lateris pungentem et oppressionem pectoris minuendam, fomentationes herbarum

b) TISSOT lettre première p. 62. — STOLL l. c. T. I. p. 14.

c) l. c. p. 63.

barum emollientium, frictiones camphoratae aut linimentum ex vnguento althaeae, spiritu salis ammoniaci, cum calce viua parato et camphora, aut emplastrum sinapium, cum diaphoreticis antiphlogisticis in vltimo stadio, si enim fordes secesserunt, appetitus rediit, febris remisit, hic multum faciunt. Si vero haec remedia dolorem pungentem excruciantem minime tollunt, et morbus in vltimo versatur studio, tunc lene vesicatorium certissime hoc ingratum symptoma auferit. — Ad expectorationem sustentandam, sal ammoniacum, mellita, tartarus emeticus in paruis dosibus, aut Kermes minerale, vel sulphur auratum antimonii tertiae praecipitationis, si febris secesserit, appetitus reuerterit, cum potionibus multis resoluentibus, optime valent. Aliquando ad hunc scopum, aluum aliquantum reprimere, aliasque secretiones minuere oportet. In hoc stadio etiam denique, si medicamina recensita vires suas denegauerint, et phlogosis discussa fuerit, vesicatorium vsque ad rubedinem applicari potest, quod et hic omnem paginam absoluit. — Et nisi emeticum vel primum vel secundum tussim auferat, succus glyzyrrhizae inspissatus, aut sulphur auratum antimonii tertiae prae-

praecipitationis, cum mixtura antifebrili resolvente et euacuante coniunctum, nec non potus mucilaginosi, eam in primo stadio valde minuebunt; in ultimo stadio vero euacuationes primarum viarum eam certissime profligabunt, nam tussis solummodo ab irritatione biliosa fovetur. —

Indicatio tertia.

Fit interdum, ut in decursu morbi, symptomata oriantur grauiora, quae nisi subito sedentur, aegrotum in mortis periculum vsque detrudunt. Itaque de his hoc loco quaedam monebuntur. —

Quodsi acris materia biliosa sursum ita turgeat, ut vomitum spontaneum nimis vehementem viresque aegroti debilitantem, efficiat, haec molimina naturae nimis vehementia aliquantum sedari debent, ut postea maiori cum leuamine et faciliiori negotio aegroti, materia peccans, per os eici queat. Hoc efficere possumus potionibus leniter antispasmodicis, infuso melissae, chamomillae, clysmatibus emollientibus, inuoluentibus, et antispasmodicis, minime irritantibus, quae praecipue si aluus obstructa sit, necessaria sunt; porro linimentis antispasmodicis ex oleo chamo-

mil-

millae cocto, unguento althaeae, saponariae cum camphora, aut si enormis sit, cum opiatis coniunctis, fomentationibus emollientibus et antispasmodicis, emplastris, exempli gratia, de cumino, de crusta panis cum camphora, aut opio coniunctis; imprimis autem pediluviis aut balneis vniuersalibus tepidis et denique sinapismo ad ventriculum applicato, si adhuc omnium praestantissimum remedium internum antiemeticum, nempe potio RIVERII aut tempore effervescentiae, aut in forma mixturae, cum potionibus multis acidulis, corrigentibus et antispasmodicis propinatur. Vomitu enormi sedato, aut sursum, ope ipecacuanhae, aut deorsum, ope pulpae tamarindorum et aliorum leniter purgantium, materia acris, maiori leuamine euacuatur, quae remedia vero modice et cum potionibus mucilaginosi, obuoluentibus praebere debent. — Vfus internus Opii autem, nisi indicatio vitalis intret, hic nocebit, quia minime cum statu bilioso quadrat, anxietatem efficit summam, symptomata omnia grauiora reddit, et saepissime ne quidem vomitum sistit, nec irritationem sedat. Observationibus etiam persuasus

sum

sum, medicamina supra recensita, si modo rite applicantur, ad hunc vomitum ingratum sedandum, plerumque sufficere. Et generatim certissime credo, ad symptomata omnia grauiora minuenda, melius esse, semper a lenioribus remediis initium facere, et tunc demum, si haec effectus suos denegauerint, ad efficaciora, aut melius, ad fortiora sensim procedere, quam haec statim et initio in vsum vocare, quia experientia quotidiana docet, haec sic dicta leniora medicamina saepius efficaciora esse, fortioribus remediis, et haec non raro malam impressionem in corpore relinquere. — Hercle nil magis medicum practicum ornat, quam si, quidquid agat, semper circumspecte et caute nec temere agat! —

Non secus ac vomitus enormis, etiam diarrhoea interdum ab irritatione materiae acris, principio morbi et ante coctionem, sine leuamine et diminutione colluuii oritur, quae adhuc non raro enormis et frustranea est, et statum aegroti potius peiorem quam meliorem reddit. — Non dubium est, quin talis diarrhoea maxime pericu-

riculosa sit. Sordes enim magis magisque inspissat, irresolubiles reddit, vires aegroti frangit, sputa supprimit, morbum protrahit, et facillime, nisi sensim minuatur, febrem lentam generare potest. — Medici officium est ergo, hanc certe inutilem et frustraneam diarrhoeam sensim sensimque minuere, nec eam statim opio et aliis fortioribus remediis sistere; nam, quamquam sit enormis, tamen cum morbo quadrat, et natura solummodo nimis actiua est. — Remedia, quae itaque hic maxime profunt, ea sunt, quae obuoluendo aliquantum diarrhoeam minuunt, ut sic occasio enascatur, resoluentibus et diluentibus remediis, sordes mobiliores reddendi, ita, ut hac cunctatione, postea sordes aut sursum aut deorsum maiori leuamine euacuari possint. — Diaeta ergo mucilaginosae, potus mucilaginosi et tepidi, et praecipue solutio gummi arabici pro potu ordinario, et internus usus salis ammoniaci aut cum aut sine gummi arabico coniuncti; ipecacuanhae et rhabarbari paruae doses, aut denique decoctum ichthyocollae, cum fomentationibus antispasmodicis hic optime conueniunt. — Quando vero haec leniora remedia nil efficiunt,

et diarrhoea ob nimiam acrimoniam bilis et intestinorum irritabilitatem et sensibilitatem, cum priori vehementia perdurat, tunc diluentia, corrigentia, clysmata antispasmodica, ex floribus chamomillae, sambuci, inunctiones et fomentationes, balnea tepida aut vniuersalia, aut topica, sinapismi, cucurbitulae siccae, cum supra recensitis remediis internis, aut denique cum decocto radicis arnicae, et regimine leniter diaphoretico, frictionibusque eam certissime sine omni subsequente periculo minuent. — Emeticum, quamquam a plurimis ad diarrhoeam biliosam minuendam, adhibeatur, tamen minime generatim et temere in omnibus diarrhoeis biliosis propinarem. Nam dum adhuc diarrhoeae vehementia perdurat, emeticum semper audax et incautum remedium esse, mihi videtur, et facile hyperemesin aut hypercatharsin efficere potest, et etiamsi hoc non fiat, et materia leniter euacuetur, tamen, quia adhuc ad euacuandum non apta est, leuamen eo non redundat, nisi colluies prius satis mobilis facta sit. — Prudentius hoc consilium maxime probo, primum talem diarrhoeam biliosam et imprimis in nimia irritabilitate et sensibilitate intestino-

stinorum minuendi et tuncdemum colluuiem, magis ad excretionem aptam, leniter et cum maiori leuamine aegrot, aut sursum aut deorsum euacuandi. — Et si vel fordes sursum in diarrhoea turgeant, tamen ipecacuanham, certissimum alias emeticum, praecipue in irritabilitate et sensibilitate intestinorum praeternaturali, non propinarem, nisi prius mucilaginosi obuoluentibus et aliis remediis, diarrhoeam minuissem. Damnum enim ex hac cunctatione minime enascitur, contra hac descripta via, morbus certiori et leniori modo vincitur.

Quodsi autem meteorismus, aut ab omissis euacuationibus, aut ab incaute et subito retentis excretionibus, aut a colluuiie bilioso putrida, aut a spasmo oriatur, tunc clysmata aperientia, emollientia et antispasmodica, ex decocto florum chamomillae, herba menthae, melissae; praecipue autem ex aëre fixo, aut aqua frigida, cum fomentationibus emollientibus, antispasmodicis, et si putredo vrgeat, frigidissimis, hoc grauissimum symptoma satis cito auferunt. —

Interdum etiam in decursu peripneumoniae biliosae, sudores erumpunt profusi, qui cum statu

morbi minime quadrant, morbum grauiorem reddunt, aegrotum minime leuant, sed potius vires aegroti maxime prosterunt, et aut a fordibus biliosis, aut a regimine nimis calido, originem ducunt. — Euacuationes primarum viarum ergo, et restitutio aliarum suppressarum excretionum, regimen refrigerans, semotio a lecto, diaeta frigida acidiuscula, optime eos minuent. —

Quod aphtas attinet, quae interdum erumpunt, et a fordibus gastricis pendent, iis potiones mucilaginosae et boracis vsus externus et internus conuenit. —

Ad conuulsiones sistendas, quae in peripneumonia biliosa ab irritatione materiei acris biliosae oriuntur, bilem corrigentia, involuentia et euacuantia, cum antispasmodicis, quae tamen cum statu bilioso quadrare debent, nempe clysmata emollientia, antispasmodica, balnea tepida, vnguenta emollientia, antispasmodica, ad ventriculum et abdomen applicata, nec non fomentationes abdominis emollientes, antispasmodicae, et vsus internus antispasmodicorum, praecipue vale-

valerianae, quae melius, aliis antispasmodicis, in statu bilioso propinari potest, aut si omnia haec fallant, vsus moschi plerumque omnem paginam absoluit. —

Deliria, capitis dolores, et anxietates raro peculiarem poscunt medelam, quia remedia, quae causam morbi, ideoque hic colluviem euacuant, haec symptomata tollunt omnia. — Quod si autem vnum horum symptomatum vehementia sua periculum crearet, tunc respectu causae morbi minui debet. — Si ergo exempli gratia, capitis dolores et deliria nimis vehementia oriuntur, ascensus in lecto, tonsura crinium, denudatio capitis, maniluua et pediluua, unguenta antispasmodica, fomentationes abdominis, clysmata, cucurbitulae siccae, ad scrobiculum cordis applicatae, aut denique frictiones extremitatum inferiorum, et sinapismi, congestiones ad caput simulque deliria, capitis dolores, anxietates et peruigilia minuent.

Indicatio quarta.

Hac descripta methodo euacuatoria et antigastrica, hic non secus, ac in aliis morbis bi-

V.

Quodsi paracenthesis in hydrope necessaria esse videtur, melius esse, semel et prorsus aquam hydropicam, quam sensim et pluribus vicibus evacuare, credo.

VI.

Ligatura fistulae ani sectioni praeferri meretur.

VII.

Placentae solutio rarissime arte perficiatur.

VIII.

Diagnos gemellorum in graviditate maxime dubia est.

IX.

Bilis vi sua saponacea in cibos agit.



